



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Sancti tres Reges.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS. XV. R E X.

§. I.

Christus D. Rex noster.

Ex Veteri, & Novo.

Cumque sederem quasi Rex. Job. 29. 25.
Quasi Rex sedet Dominus in corde: quia
presidentem mentibus electorum circum-
stat eum turba virtutum. Hugo Card. hic.

Intende, prospere procede, & regna. Pl. 44.
s. actutum subjunxit: *propter veritatem, &*
mansuetudinem, & justitiam. Manifeste per
hac docens veritatem, mansuetudinem, &
justitiam, ejus esse pulchritudinem, potentiam,
arma, & victoriam. B. Theodoretus hic.

*Neminem diligit nisi eum, qui cum sa-
pientia inhabitat.* S. August. legit, anima
justi sedes sapientiae. Sap. 7. 28. Omnes homi-
nes, qui bene vivunt, qui bene agunt, secun-
dum charitatem piam conversantur; nonne
Deus in illis sedet, & ipse jubet? Obtemperat
anima sedenti in se DEO, & ipsa jubet mem-
bris. Anima enim tua jubet membro tuo,
quod moveatur pes, quod manus, quod oculus,
quod auris; & jubet ipsa membris tanquam
famulis suis: sed & ipsa servit interiori insiden-
ti sibi Domino suo. S. August. hic.

Spiritus Domini super me &c. Isa. 61. 1.
Ubi? vel quando, Dominus unxit me? quan-
do concipiebar; in matris utero unxit me
Dominus. Illic Dominus in Regem unxit
me; in Regem, inquam, & in Sacerdotem
quoque illic Dominus unxit me. S. Rupertus
hic.

Regnabit in domo Jacob. Luc. 1. 32. Id
est, in familia Jacob, quae est congregatio e-
lectorum; in quibus regnat hic per gratiam,
in futuro per gloriam! Hugo Card. hic.

Tu es filius DEI; tu es Rex Israel. Joan.
1. 49.

Regem vestrum crucifigam? Joan. 19.
15. Offerebat ille (Pilatus) Regem Filium
DEI: ecce Rex vester: illi ad hominem re-
currerant: *non habemus Regem, nisi Cesa-
rem.* Digni, qui illum haberent, & istum
non haberent. S. August. in Pl. 63.

*Erat autem scriptum: JESUS Naza-
renus Rex Judaeorum.* Joan. 19. 19. Novus
Rex, nova lex: novus Dux, nova lux. Fra-
ctis prioribus tabulis, & silice ad silicem com-
minuto, novis subscriptionibus figit titulum;
& distat pietas, & discernit omnia charitas.
Scribitur tribus linguis insignibus, Hebraica,
Latina, & Graeca, Regnum Christi: & domi-
natio ejus emanatura in gentes, Cruci inscul-
pitur; nec corrumpere Pilatus, quod scripse-
rat, voluit. Jam ad hanc sculpturam, latro
crucifixus pertinebat, ut eum intra se illae lite-
rae colligebant. Arnoldus Carnot, tr. de 7.
verb. in Cruce.

Ex Patribus.

Tam Filio DEI, quam Anti-Christo, re-
gnandi studium est. Sed Anti-Christus regnare
desiderat, ut occidat, quos sibi subjecerit: Chri-
stus ad hoc regnat, ut salvet. Duo ergo Re-
ges certatim regnare festinant: peccati Rex
peccatoribus diabolus; justitiae Rex justis Chri-
stus. Origenes hom. 30. in Lucam,

Hoc est maximum, & maxime regium,
DEI opus; humanam servare naturam. Clem.
Alex. paedag. l. 1. c. 12.

Quasi Rex Dominus sedet in corde: quia
circumstrepentes regit animum motus in
nostra cogitatione. Sive certe quasi Rex se-
det circumstante exercitu: quia presidentem
illum mentibus electorum circumstat turba
virtutum. S. Gregor. mor. l. 20. c. 7.

Quomodo de interiori palatio, quidquid
jusserit Imperator, per imperium Romanorum
emanat; quidquid videtis agi per provincias:
quantus motus sit ad unam jussionem Impe-
ratoris intus sedentis. Movet solum ille la-
bia, cum loquitur; & movetur, omnis pro-
vincia; cum sit, quod loquitur. Sic & in uno
quoque nostrum intus est Imperator; intus in
corde sedet. Si bonus bona jubet; bona sunt:
& si malus mala jubet; & mala fiunt. Cum
ibi sedet Christus, quid potest jubere, nisi bona?
Cum possidet diabolus, quid potest jube-
re, nisi mala? In tuo autem arbitrio te Deus
esse voluit; cui pares locum; DEO, aut Dia-
bolo. Cum paraveris; qui possidebit, ipse
imperabit. S. August. in Pl. 148.

Regnet Christus in nobis; non regnet pecca-
tum in corpore nostro. Cor regis in manu Dei.
Simus reges; imperemus corpori nostro, &
subjiciamus illud; & cor nostrum sit in manu
Dei. S. Hieron. in Pl. 147.

Venit avaritia, & vendicat in me sibi sedem:
jactantia cupit dominari mihi: superbia vult in
me esse Rex: luxuria dicit, ego regnabo: am-
bitio, detrahitio, invidia, & iracundia, certant
in me ipso; cujus ego potissimum esse videar.
Ego autem, quantum valeo, resisto; renitor,
quantum javor; Dominum meum Jesum re-
clamo, ipsi me defendo: quia ipsius me juris
agnosco. Ipsum mihi Deum, ipsum mihi Do-
minum teneo, & dico: non habeo Regem, nisi
Dominum Jesum. S. Bernardus hom. 4. sup.
Miss.

§. II.

Sancti tres Reges.

Aliã venerunt viã Magi, aliã redeunt. Qui
enim Christum viderant, Christum intelle-
xerunt; meliores utique, quam venerant, rever-
tuntur. Duæ quippe sunt viæ: una, quæ ducit
ad interitum; alia, quæ ducit ad regnum. Illa
peccatorum est, quæ ducit ad Herodem; hæc
Christus est, quæ ducit ad patriam. S. Ambros.
in Luc. 2.

Post-

Postquam anima istum dulcissimum Puerum per gratiam spiritualiter concepit, peperit, & nominavit; tres Reges, id est, tres animæ vires, quæ bene reges dicuntur; quæ jam carni principantur, sensibus dominantur, in solis divinis studiis, sicut decet verè Reges occupantur: Puerum jam per effectus multiplices ejus revelatū, in civitate regia, hoc est, in totius Mundi machina, æstimant esse quarendum. Quærent igitur Meditationibus, requirunt affectionibus, interrogant devotis cogitationibus: *ubi est, qui natus est? Vidimus stellam ejus in Oriente.* Vidimus claritatem ejus in devota mente: vidimus splendorem ejus radiantem in intimis animæ: audivimus ejus vocem, quæ est dulcissima; gustavimus dulcedinem ejus, quæ est dulcissima, suavissima. Jam Herodes redde responsum, ostende Dilectum, monstra Infantulum desideratum. Propter tuam gloriam videndam non venimus; propter tuam gratiam obtinendam non properavimus; propter tuam gratiam adorandam non festinavimus. Ubi est ergo longitudo brevis, magnitudo levis, altitudo subdita, latitudo angusta? ubi lux lucens, aqua sitiens, panis esuriens? dic nobis ubi potentia regitur, sapientia instruitur, virtus sustentatur, Verbum Patris lactatur? Dic nobis, ubi, æternus Dei filius, infans invenitur? ubi splendor paternæ gloriæ pannis involutus cernitur? ubi audiemus in cunabulis vagientem, qui est miserorum consolatio? O dulcissime, o amantissime Puer æternæ, Infans antiquæ! quando te videbimus? quando te inveniemus? Tædet gaudere sine te; delectat gaudere tecum, & flere tecum! tuum beneplacitum est nostrum indeficiens gaudium, & desiderium! S. Bonaventura. tr. lign. vit. quarta solem. de Magor. ador.

Cum recessissent Magi, & reliquissent Judæos; *ecce stella, quam viderant in Oriente, antecæbat eos.* Matth. 2. 9. Hinc manifestè datur intelligi: quoniam, humanum flagitantes consilium, divinum amiserunt ducatum; & conversos ad terrenum documentum, signum cœlestè deseruit. S. Bernardus serm. 3. in Epiph.

Reges tres sancti, nec in pulchritudine civitatis Jerosolymæ, neque in magnificentia aulæ Herodianæ, neque demum in claritate apparentis stellæ, complacere sibi poterant: eorum cor, & animus, quarebat parvam speluncam, & infantem Jesum in Bethlehem. S. Franc. Sales. tr. de div. am. l. 5. c. 7.

Procedentes adoraverunt eum. Matth. 2. 11. maximè signò reverentiæ adoraverunt; ita quòd non genu flexerunt, sed in faciem ceciderunt. Cajetanus hic:

§. III.

Reges terreni.

Num. 1.

Figure, & Symbola.

Ex Veteri.

Flant luminaria arduant diem, ac noctem. Gen. 1. 14. Symbolum Innocentii. III. P., scribens ad Imperatorem Constant. l. 1. de decural. tit. 33. c. solida. Ad firmamentum cœli
Pogant, sacra, Tom. II.

li, id est, universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo luminaria magna, id est, duas instruit dignitates: quæ sunt, Pontificalis, authoritas, & Regalis potestas. Sed illa, quæ præest diebus, id est, spiritualibus, major est; quæ verò carnalibus, minor: ut, quanta est inter solem, & lunam; tanta inter Pontifices, & Reges, differentia cognoscatur. Cornelius hic.

Apprehendit summitatem pallii ejus, quæ scissa est. Et ait ad eum Samuel: scidit Dominus regnum Israel à te hodie. 1. Reg. 15. 27. 28. Vestes, ut notat S. Cyprianus lib. de unit. Eccl. in Scriptura sacra regniæ dignitatis Symbolum sunt. Unde per vestium scissionem regni scissio Sauli hic, & Jeroboamo. 3. Reg. 11. 31. præfigurata fuit. Eæ autem in terram ad pedes ejus abjectæ, ejus in regnum electionem portendebant. Ità quòd in Jeshu antè factum erat. 4. Reg. 9. 13. Christum D. asino vestum. Matt. 21. 8. Ejusmodi vestium prostratione agnovērunt Judæi & proclamārant, Regem Israel, filiumq; Davidis. Hòc ritu solebant profiteri, sua omnia bona, uti pedibus, sic & arbitrio Regis se submittere. Doultreman. l. 2. c. 1. Sect. 4.

Ne extinguas lucernam Israel. 2. Reg. 17. id est, regnum, aut regem. Cornelius in Prov. 20. 20. Lucerna Symbolum est dominatūs, opum regni, & imperii: quia sicut ignis est Rex elementorum; ita princeps hominum, Ideò lucernæ, faeces, & ignes, regibus præferri solebant. Id. ib.

Emissiones tuæ paradisi malorum Punicorum. Cant. 4. 13. Malogranatum regis typum gerit. Primò dum suam in granis purpuram, suam in cortice coronam, præfert; nihil magis, quàm regem coronatum; ac purpuratum, adumbrat. Secundò, quia, dum multa grana sub uno cortice complectitur; vel significat multitudinem negotiorum, & consiliorum, quæ à regibus fidò silentiò occultantur; ut S. Ambros. l. 3. hex. c. 13. insinuat: vel concentum omnium virtutum, quibus æquum reges exornari; ut S. Hieron. l. 1. contra Jovinianum interpretatur: vel significat animorum charitatem, quam reges in regno suo maximè curare, & conservare debent. Theodoretus hic: pro malo Punico charitas intelligitur: quandoquidem sub uno ejusdem mali cortice multa sunt grana; ità mutuo inter se conservata, ut se vicissim non comprimant, neq; corrumpant; sed integra conserventur; nisi aliqua in medio putredo nascatur. Tertio, sicut malogranatum pulchrius apparet, cum fatiscit: nam tunc interna grana, quæ sub vili cortice latebant, pyropos imitata, expanduntur. Ità reges, quò majoribus difficultatibus seinduntur, ac distrahantur, in suorum præsidium; eo clariora præbent exempla virtutum. Hinc Christus D. Ecclesiæ suæ: *sicut fragmen mali Punci. ita genera tua.* Cant. 4. 3. Hinc Hispan. Rex Henricus IV. hoc pomum sibi pro insigni regio delegit, cum lemmate: *acre, dulce.* Ut significaret, in bono rege ità severitatem, & humanitatem, temperandam; ut nunquam sine severitate ignavus; aut sine humanitate crudelis, videatur. Mendoza in 1. Reg. 14. 2.
D d d d
Uni-